



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Innocentius VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1358.

& reverentiam exhibebo, nec hæresibus, erroribus, opinionibus seu rebellionibus contra dictam Ecclesiam Ludovici quondam de Bavaria & Michaelis de Cæsena vel fautoribus suis sive ei adherentibus aut ejus sequacibus in rebellionem dictæ Ecclesiæ seu aliis hæreticis ac schismaticis adhærebo, aut cum eorum sequacibus per dictam Ecclesiam denotatis deinceps ero, nec eis seu aliis quibuscunque dabo contra Romanam Ecclesiam, consilium, auxilium, vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, nec cum quocunque in præfata Ecclesiæ rebellionem existente faciam alligationem, conspirationem, sive ligam.

Datum Avenion. 6. Id. Junii. Anno 8. &c.

ANNO
1352.INNOCENTIUS SEXTUS,
PONTIFEX CCI.

ANNO DOMINI MCCCLII.

Innoentius Lemovicensis, antea Stephanus Albertus, successit Clementi VI. anno 1352. cum Sedes Avenioni adhuc esset; Romam reformatione opus habere agnovit; Bello inter Gallum & Anglum ferventi finem imponere annis frustra fuit. Joannem de Rupefcissa Franciscanum, quod Apocalypsim contra Romanam Sedem exponeret, comburi jussit. Obiit anno 1362. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 258. App.*)

I.
Ex Arch.
Angliæ
Rymer
Tom. 6.
pag. 103.

Bulla super discordia inter Regem Navarrae & Normanniæ Ducem suborta: anno 1358.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Nuper sinistris relictis intellectu, quod pacis æmulo, humani generis inimico, subortam inter carissimum in Christo Filium nostrum, Carolum Navarrae Regem illustrem, & dilectum Filium, nobilem Virum Carolum Ducem Normanniæ, carissimi in Christo Filii nostri Johannis Regis Francorum illustri Præmogenitum, dissensionem damnabilem suis incentivis calliditatibus inflammante, utraque partium ad periculosa guerrarum discrimina, congregatis undique viribus, se parabat. Nos cupientes hujusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, venerabilem Fratrem Taylorandum, Episcopum Albanensem, & dilectum Filium nostrum Nicolaum, Tituli Sancti Vitalis Presbyterum, Cardinales,

Apostolicæ Sedis Nuncios, ad sedandum discordiam ipsam, & pacem inter dictas partes, auctore Domino, reformandum, de Fratrum nostrorum consilio providimus destinandos. Ideoque Serenitatem tuam attentis precibus exhortamus, quatenus ad bonum pacis, per quam animarum periculis obviatur, populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur, ubicumque possis, salubriter propagandum tuum semper animum dirigens & disponens, præfatis Nunciis, ut ad partes illas securè accedere valeant, nostrum obrentu precaminum, de securo conductu velis liberaliter providere, & aliis eis in prosecutione dicti negotii tuum exhibere consilium & favorem. Ita quod inde Regi pacifico placeas, nosque & Apostolica Sedes tuam exinde Celsitudinem dignis possimus laudibus commendare.

Datum Avinioni tertio Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Bulla de Ecclesiasticis in Regno Franciæ non molestandis: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilectum Filium, nobilem Virum Guillelmum de Berton, Militem, Nuncium, & Ambassatorem tuum, ad nostram se nuper præsentiam conferentem, consideratione mitentis, & suæ insuper multæ discretionis intuitu, benignè suscepimus, ac petitiones tuas, per eum nobis, tam providè, quam sapienter expositas, intelleximus diligenter, & deinde petitionibus ipsis, in illis, in quibus cum Deo potuimus, prout ab eodem Nuncio informationem recipere valebit tua Serenitas plenior, de benignitate Apostolica duximus annuendum. Nos enim, erga tuam Excellentiam gerentes præcipuè caritatis affectum, & benevolentiam singularem, in eis, quæ grata, & accepta tibi fore noverimus, prout secundum Deum poterimus, libenter intendimus votis tuis annuere, & desideriis complacere. Postremò, cum sæpius ad nostram audientiam plurimorum relatio fide digna perduxerit, quod per tuas gentes armigeras nonnullis Ecclesiis ac Ecclesiasticis Personis in Regno Franciæ constitutis, quod præter, immo contra tuæ Serenitatis conscientiam fieri non ambigimus, plurima damna & molestiæ multipliciter inferuntur; Serenitatem eandem attentè rogamus, & paternis in Domino affectibus obsecramus, quatenus pro honore Dei & nostræ ac Apostolicæ Sedis reverentia Ecclesiis, & Ecclesiasticis personas easdem regentes ipsas turbare vel molestari alicqualiter non permittas, sed eas potius suscipias de mansuetudine Regia commendatas.

Datum Avinioni VI. Calendas Maji, Pontificatus nostri anno octavo.

ANNO
1360.II.
Ibidem
pag. 172.

Exclusio

ANNO
1360.III.
Ex Arch.
Angliæ
Rymer
Tom. 6.
pag. 103.

Exclusio petitionum Regis Angliæ super Promotione Androyni Abbatis in Cardinalem: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Nuper quanto desiderares affectu dilectum Filium Androynum, Abbatem Monasterii Cluniacensis, ad Cardinalatus dignitatem per Sedem Apostolicam promoveri, diligenter nobis exposuit dilectus Filius, nobilis Vir Guillelmus de Barton Miles, Nuncius tuus, qui ad nostram presentiam pro parte tuæ Serenitatis accedens unâ cum dilecto Filio, nobili Viro Roberto de Loriaco Milite, quem ad nos cum devotæ supplicationis instantia carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Francorum illustris, pro huiusmodi negotio specialiter destinavit. Negotium ipsum multâ fuit diligentia ac prudentiâ profectus. Verum, carissime Fili, licet in hoc & aliis Tibi placitis tuis annuere votis, & complacere desideris, quantum cum Deo possumus, cupimus, ad præsens tamen tuis in hac parte supplicationibus annuendum fore non vidimus, certis nos moventibus causis, quas Excellentie Regiæ præfatus Nuncius, Lator presentium, per nos super eisdem plenius informatus, vivæ vocis oraculo poterit apertius referare. Rogamus itaque Magnitudinem tuam, & hortamur attentè, quatenus præmissis causis debita consideratione pensatis, molestè non feras, si petitiones tuas super promotione huiusmodi de præsentibus non duximus admittendas. Ceterum super nonnullis aliis, pro parte tua per Nuncium ipsum nobis expositis, de intentione nostra informationem similiter ab eodem recipere valebit præfata tua Serenitas plenior.

Datum Avinion. Septimo Calendas Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

IV.
Ibid. pag.
117.

Bulla super Concordia inter Ducem Britannia & Carolum de Bloys: anno 1361.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Pervenit nuper ad Audientiam nostram, qualiter tam Tu, quam carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, pro tractanda concordia inter dictos Filios, nobiles Viros Carolum Ducem Britannia, & Johannem Comitem Montis-Fortis, certos diem & locum, in quibus ipsi coram Vobis seu Commissariis vestris convenire debebant, statuisse. Nos itaque huiusmodi Regiæ deliberationis, pro tam salubri materia consilium plurimum in Domino commendantes, ac incepta per Vos laudabiliter sine terminari debito cupientes, dilectum Filium Androynum, Abbatem Monasterii Cluniacensis, Matisconensis

Diocesis, cuius provida solertia & solers prudentia in magnis & arduis se nobis & Sedi Apostolicæ clarâ fecit, ad interponendum circa concordiam huiusmodi Apostolicæ auctoritatis partes debitas, tanquam pacis Angelum ad præfatum locum duximus destinandum. Quocirca Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia eidem Abbati tuis assistendo favoribus & Consiliis inhærendo pro sedanda discordia inter dictos Ducem & Comitem, & pace stabili ratione communis commodi reformandâ dare velis Magnitudo Regia, prout expedire viderit, opem & operam efficacem.

Datum Avinion. quarto Id. Martii, Pontificatus nostri anno nono.

Ad Regem Angliæ super deductione 100. millium Florenorum de summa per Regem Franciæ solvenda, & de recipiendo tantundem de subsidio Cleri: anno 1362.

ANNO
1362.V.
Ibid. pag.
357.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Recipimus nuper Regiæ Celsitudinis litteras nostro Apostolatu destinatas, Responsa super pluribus, quæ à Celsitudine præfata petivimus, nostris votis & petitioni conformia continent. Equidem Fili carissime tuum de servanda Pace, quam Tu & carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, aspirante Domino firmavisti, laudandum propositum multipliciter in Domino commendamus. Super eo autem, quod pro deductione de certa pecuniæ summa, quam præfatus Rex in Festo Resurrectionis Domini proximè futuro Tibi solvere certis ex causis tenetur pecuniam subsidii centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini, quod Prælati & Clerus tui Regni nobis pro nostris & Ecclesiæ Romanæ urgentibus necessitatibus liberaliter obtulerunt. Quamvis Termini solutionis dicti subsidii per Prælatos tui Regni jam præfixi longiores sint, quam terminus dicti Festi. Recipere in eisdem Terminis obtulisti tuam liberalitatem, habuimus valde gratam, noscimusque Tibi, quod gentes dicti Regis huiusmodi oblatione percepta similem summam centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini nuper nostræ Camere realiter assignarunt. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Eliensi, quos ad hoc tua Serenitas nominavit, per alias nostras damus litteras in mandatis, quod prædicta centum millia Florenorum dicti subsidii, in terminis ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, studeant exigere & levare. Contradictores auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Et ipsa centum millia Florenorum Tibi seu tuæ Camere assignata, exinde ab eadem Serenitate opportunas recognitionis litteras recepturi. Quare placeat Magnificentie tuæ, secundum quod, ut præfatur, liberaliter obtulisti, præfata centum millia Florenorum deducere de huiusmodi summa majori, quam Tibi dictus Rex solvere in præfato Festo tenetur, & su-

ANNO
1362.

per hoc Nunciis ejusdem Regis concedere recognitionis & Quitantiae litteras opportunas.

Datum Avinion. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno X.

Super Deductione & Receptione antedictis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Eliensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Debitum æquitatis exposcit, sæpeque necessitatis articulus exigit, ut ea, quæ pro causis urgentibus ordinantur, quamvis prius spontanea fuerint, ad obviandum tamen litigiosis & discolis, ad opportuna certionis vinculum reducantur; Dudum liquidum, prout Fratritas vestra novit, Vos & alii Prælati, & Ecclesiasticæ Personæ Regni Angliæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matri vestræ, multarum tribulationum & necessitatum angustias patienti, Filialis compassionis exhibentes affectum, eique volentes in eisdem necessitatibus subvenire, nobis liberaliter obtulistis gratuitum subsidium centum millium Florenorum. Nosque considerantes viarum pericula & diversa incommoda, quæ verisimiliter possent contingere in pecuniæ hujusmodi ad Romanam Curiam missione, & ab eisdem periculis & incommodis per providentiam utilem præcavere, ipsamque pecuniam, dictis necessitatibus nimis urgentibus, quam citò posset fieri, nostræ assignari Cameræ cupientes, subscriptum modum in hac parte providimus adhibendum; videlicet, quod, cum carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, quandam pecuniæ summam certis de causis carissimo in Christo Filio nostro Eduardo, Regi Angliæ illustri, in Festo Resurrectionis Dominicæ proximè secuturo solvere teneatur. Et idem Rex Angliæ, prout nuper nobis per suas litteras intimavit, ad preces nostras concesserit deducere dictam summam centum millium Florenorum de majori summa, quam in dicto Festo ei debet solvere Rex Franciæ prælibatus. Et deinde recipere dicta centum millia Florenorum, nobis debita pro subsidio supradicto, quamvis termini solutionis faciendæ de ipso subsidio post Festum hujusmodi sint futuri. Pecunia ipsa ejusdem subsidii per Vos ab eisdem Prælati & personis Ecclesiasticis dicti Regni in Terminis, ad hoc per eosdem Prælatos, ut dicitur, jam præfixis, levetur, & etiam exigatur, & exacta præfato Regi Angliæ, in deductionem dictæ summæ, sibi per præfatum Regem Franciæ debita nostro nomine assignetur. Quare, ut hujusmodi modus, per nos tam providè quam utiliter adhibitus, in præmissis effectum debitum consequatur, & non contingat intervenire defectum in assignatione prædicta, præfato Regi Angliæ faciendæ, Fratritatem vestram moneamus & hortamur attentè, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatus subsidium ejusdem summæ centum millium Florenorum, boni auri & ponderis Florentini, seu verum valorem ipsorum in alia moneta æquivalentem pecuniam, prout secundum æquam divisionem

ejusdem subsidii, pro vestris, seu Ecclesiarum vestrarum redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, quos obtinetis in Regno prædicto, rationabiliter vos continget, in Terminis, per vos & alios dicti Regni Prælatos, ad hoc, ut dicitur, ordinatis, integraliter solvere. Ac vos alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, ab aliis Prælati, & personis Ecclesiasticis dicti Regni secularibus & regularibus quibuscumque, exemptis, & non exemptis, cujuscunque Præminentiae, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, quibus, aut eorum alicui, nulla privilegia, vel indulgentias, sub quacunque verborum forma, vel expressione concessa, volumus suffragari, pro ipsorum Prælatorum, & Ecclesiasticarum personarum, Ecclesiasticis redditibus & proventibus, quos in præfato Regno obtinent, exigere & colligere studeatis. Præfatos dicti Regni Prælatos, & personas Ecclesiasticas ad solvendum dictum subsidium, in eis terminis, ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, ac per sequestrationem eorumdem redditum & proventuum suorum Ecclesiasticorum, in præfato Regno consistentium, si expediens fuerit, appellatione postposita, compescendo. Quod si forte vos, vel alter vestrum in hujusmodi solutione subsidii defeceritis, seu defecerit, taliter deficientes seu deficientes similes sententias, quas per vos, vel alterum vestrorum, aut alios subdelegatos vestros, in non solventes dictum subsidium, in eisdem terminis, proferri contigerit, incurrere volumus ipso facto. Non obstantibus, si vobis, aliisque Prælati, & Personis Ecclesiasticis supradictis, communiter, vel divisim, à prædicta Sede indultum existat, quod ad solutionem alicujus subsidii minime teneamini, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possitis per litteras Apostolicas quæ de indulto hujusmodi non fecerint mentionem. Et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & litteris Apostolicis, quibuscumque Ordinibus, & specialiter Sanctorum Benedicti & Augustini, Cluniacensi, Cisterciensi, Præmonstratensi, Cartusensi, Grandimontensi, & ipsorum Universitatibus generaliter, vel specialiter, sub quacunque forma, vel expressione verborum, à memorata Sede concessis. Ad hæc volumus, vobisque eadem auctoritate concedimus, quod vos, & alter vestrum, quos ex defectu non factæ solutionis hujusmodi incurrisse præfatas sententias contigerit, ab eisdem sententiis, post satisfactionem debitam, per aliquem ex vicinioribus Episcoporum excommunicationis sententiæ ligatum, & alias gratiam & communionem prædictæ Sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione hujusmodi absolutionis beneficium & super irregularitate, si quam forsan sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiscendo vos illis, contraxeritis, dispensationis gratiam obtinere, aliisque etiam, quos eadem sententias, ex defectu solutionis hujusmodi incurrisse contigerit, post satisfactionem debitam, facta vobis similiter fide de illa, similiter ab eisdem sententiis absolutis beneficium super irregularitate contracta dispensationis gratiam impendere. Et demum, postquam eadem centum millia florenorum integrè receperitis de ipsis, eosdem Prælatos, & totum Clerum dicti Regni Angliæ absolvere ac quietare plenariè valeatis.

Datum Avinionis Calendæ Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

ANNO
1362.

URBANUS